



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Romae quis luctus ob Constantini mortem, & statuarum bonos ei post  
mortem tributus. Cap. LXIX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

## EVSEBII DE VITA

**I**ancteque coluerit: iure sane etiam hunc honorem solus adeptus est, ut Dei voluntate, quod in eo morte sepultum erat, tamen apud homines regnaret, ut ista scilicet ratione nobis Deus significaret, animorum regnum, hiis qui non prorsus obduruerunt, nunquam consenescere, nunquam emori. Atque haec quidem isto modo.

*Quomodo exercitus decreuerit, ut eius  
filij Augusti vocitarentur.*

CAP. LXVIII.

**I**n terea duces selectos quosdā è toto exercitu homines, quorum aliquando erga principem fides & benevolentia perspecta fuit, ad Cæsares mittunt, qui omnem rem gestā eis nunciarent. Id quod illi cum diligenter fecissent, cumq; statim quasi diuiniore quodam afflatu cuncte per omnes oras sparsæ legiones de imperatoris morte audiuisserent: eodē animo & consensione statuunt, se perinde atque adhuc sibi magnus imperator Constantinus viueret, neminem, praeter eius filios Romani imperij principem agnituros. Ac nō multò post, non iam eos Cæsares solum, verum etiam augustos omnes nūcupari volebant: quæ vox maximæ cuiusdam dignitatis plena, celsissimi imperij propria nota est. Hæcq; omnium copiarum quoconque loco essent una eademq; cōsensio, vel ipso temporis momento ad omnium aures peruererat: cum ipsi sua decreta & sententias vicissim secum per scripta communicarent.

*Rome quis luctus ob Constantini mortem, & statuarum honoris ei post mortem tributus.*

CAP. LIX.

**V**IT verò imperatorem vita functum esse senatus populusq; Romanus, ac tota imperatoria ciuitas accepisset: cum hac fama nihil sibi grauius aut luctuosius accidere posse existimarent, nullum dolori & lamentationi modū statuebant. Nam balnea clausa & fora, publica item spectacula summota, & præterea omnia, quæ per vitæ ocium & trāquillitatē facere solebat animus pacatus, & nulla perturbatione impeditus. Nam qui ante omnibus læticiis affluebat, nunc tristi & demisso vultu in publicum procedebant: &

omnes

omnes tamen beatum imperatorem acceptumq; Deo & ve  
rè imperio dignum prædicabant. Neque hæc voce tantum  
& clamoribus significabant, verum etiam re ipsa declarabat:  
cum eum vita functum pictis tabellis tanquam viuum cole-  
rent. Nam cum cœli effigiem in tabella propriis coloribus  
expressissent: depingunt eum super cœlestes orbes in æthe-  
reo cœtu requiescentem. Iam liberos eius hii solos rerū do-  
minos & augustos nuncupabant. Adhibitisque supplicibus  
vocibus funus imperatoris sui ad ipsos efferre, & in impe-  
ratoria vrbe deponere cupiebant.

*Quomodo funus à Constantio filio Constantinopoli  
depositum sit. CAP. LXX.*

**H**IC honos ei, à legionibus, homini ab ipso Deo ho-  
norato delatus est. Sed minor natu filius ad patris fu-  
nus accedens, idemq; princeps efferendi funeris in vr-  
bem id deduxit. Præbant turmatim militum cohortes, in-  
finita hominum turba sequebatur, imperatoris funus hasta-  
tis & armatis militibus cingebatur. Ut verò ad seruatoris  
nostrí Apostolorum ædem ventum est, funus deponunt. Sic  
adolescens Constantius Imperator, cum præsentia suā, tum  
reliquis rebus tanto homine dignis, omnia patri pietatis of-  
ficia præstabat.

*Sacra Synaxis in Apostolorum martyrio ce-  
lebrata in mortem Constantini.*

*CAP. LXXI.*

**S**E D cum is iam cum reliquis militum cohortibus secef-  
sisset, aderat Dei sacerdotes, circufusi turba ac vniuerso  
pietatis studio populo, à quibus diuinus per preces  
cultus adhibitus est. Hoc igitur loco, excelsō solio iacens  
beatus princeps gloriose prædicabatur. Iam populus fre-  
quens vna cum sacerdotibus, non sine lachrymis, & sane ma-  
gno cum gemitu, preces pro anima imperatoris Deo funde-  
bant: in quo & illi gratum atque optatum pio principi offi-  
cium præstabant, & Deus ipse singularem benevolentiam  
erga famulum suum ostédit: quod post mortem charis ejus  
ac germanis filiis, patris sui successoribus, imperium dona-  
set; & quem votis expetiuit locum, vna cum Apostolorum

*Q. q. 3*

*memo-*